

Werk

Titel: Coniectanea

Autor: Haupt, M.

Ort: Berlin

Jahr: 1871

PURL: https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?509862098_0005 | log46

Kontakt/Contact

Digizeitschriften e.V.
SUB Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen

✉ info@digizeitschriften.de

CONIECTANEA.

I. Cicero ad Atticum XIV 20 5 *haec scripsi. statim enim Cassii tabellarius.* excidisse aliquid post *scripsi* certum est. sed non potest probari *citatum* quod Bosius addidit libroque qui nullus umquam fuit mendacio tribuit: non utitur enim illo adverbio Cicero, utuntur scriptor belli Africæ et Quintilianus. neque vero Orellii *summatim* probo, sed adiciendum esse censeo *raptim*, quod ante *statim* facillime neglegi potuit. idem *haec scripsi raptim* est in initio epistulae II 9.

II. In Pomponii Melæ Chorographia p. 12 24 P. servandum erat quod liber Vaticanus habet *Cyrenaeicos*, neque p. 13 3 retinendum *Cyreneica*, quod omnino nihil est, sed scribendum *Cyrenaeica*. apud Ciceronem de divin. I § 88 et 89 scriptum olim fuisse *Chaldaeicum* et *Chaldaeicis* libri fidem faciunt. apud Vitruvium IX p. 224 23 R. *Chaldaeicam* praebet antiquissimum exemplar eodemque alia ducunt. apud Iuvenalem 14 101 *Iudæicum* est in libro Pithoei, *Iudeicas*, id est *Iudæicas*, in codice Arnobii III 12. quid ipse Mela ceterique posuerint nescio, miror potius quod non nulli sibi persuaserunt se in eiusmodi rebus ipsam veterum scriptorum manum adsequi posse: sed formas illas, quarum exempla augeri posse non dubito, satis antiquas esse docet *iudæidian*, id est *iudæizant*, in acrostichide Commodiani I 37. adfert ibi Oehlerus *Iudæicas* illud quod apud Arnobium est, simul autem de Afrorum usu inepte loquitur, ut solent de eorum sermone multa temere effutti. neque plane abhorrere illas formas ab analogia grammaticorum præceptis monstrare potest Lobeckii disputatio in Phrynicus p. 39.

III. Gellius VI 16 ut Catulli illud *deprecor illam assidue explicet ita disputat, deprecor hoc in loco vir bonus ita esse dictum putabat ut plerumque a vulgo dicitur, quod significat valde precor et oro et*

supplico, in quo de praepositio ad augendum et cumulandum valet. quod si ita esset, frigidi sane versus forent. nunc enim contra omnino est. nam de praepositio quoniam est anceps in uno eodemque verbo dum capit. sic enim deprecor a Catullo dictum est quasi detestor vel execrор vel depello vel abominor. contra autem valet cum Cicero pro P. Sulla ita dicit, ‘quam multorum hic vitamst a Sulla deprecatus.’ non intellegi potest dum capit. itaque olim scriptum est diversitatem significationis capit, ad sententiam recte, sed nimia interpolandi audacia. scribendum est in uno eodemque verbo duo capit.

IV. Mamertinus in Genethliaco Maximini cap. 7 *non fortuita vobis est germanitas, sed electa. notum est saepe eisdem parentibus natos esse dissimiles, certissimae fraternitatis est usque ad imperium similitudo, quaene etiam intervallum vestrae vincit aetatis et seniorem iunioremque caritate mutua reddit aequales, ut iam illud falso dictum sit, non delectari societate rerum nisi pares annos. absurdum est quod scribitur quae ne, neque minus absurdum quod aliis placuit quae nae. Mamertinus quaene scripsit, quod idem paene est atque quippe quae. falsum est igitur quod adfirmari memini post Plautum et Terentium neminem ita locutum esse praeter poetas.*

V. In Panegyrico (viii) qui ab ignoto nobis oratore Constantino Augusto dictus est cap. 19 ita scribo, *gloriatus sit licet et vere summus orator umeris se Italiae in patriam reportatum, te, Constantine, senatus populusque Romanus et illo die et aliis quacumque progressus es et oculis ferre gestivit nec quicquam aliud homines diebus munerum sacrorumque ludorum quam te ipsum spectare voluerunt, qui tuus esset fulgor oculorum, quae toti corpori circumfusa maiestas, quae oris dignitas. legebatur potuerunt et totius corporis.*

VI. Ad Iuvenalis versum 7 154, *occidit miseros crambe repetita magistros*, Georgius Valla haec adscripsit, quae apud Iahnium p. 285 leguntur, *gambre repetita. historia vel fabula ab aliquo tum scripta tam frequenter exponebatur ut proverbium teste Probo fuerit de gambia et anatho omnibus tritum cum nihil tam sibi fuisse cognitum significare voluerunt. miror neque Schopenum neque Iahnium emendasse illud de gambia et anatho. latet autem nihil aliud quam δίς ωραμβη θάνατος, idque video olim fuisse qui intellegent. ignorant proverbium Graecum veteres paroemiographi, sed habet Scaligeri Στρωματεὺς et usus eo est Basilius in Thesauro Stephani t. iv p. 1914 commemoratus. obversatum esse videtur Commodiano cum dixit Instr. i 37 15 funera sunt nimium de illis nota referre.*

VII. Cyprianus ad Donatum cap. 4 p. 6 13 H. *in proprias laudes odiosa iactatio est: quamvis non iactatum possit esse, sed gratum quidquid non virtuti hominis adscribitur, sed de dei munere praedicatur, ut iam non peccasse esse coeperit fidei, quod ante peccatum est fuerit erroris humani.* scribendum est esse coeperit dei. firmatur emendatio eo quod statim additur, *dei est, inquam, dei omne quod possumus, neque minus his, quae antea dicuntur, ut esset agnoscere terrenum fuisse quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret, dei esse coepisse quod iam spiritus sanctus animaret.*

VIII. Boethius in Philosophica consolatione IV carm. 4 5

*quos serpens leo tigris ursus aper
dente petunt, idem se tamen ense petunt.*

nullo pacto credi potest Boethium *aper* producta priore syllaba possisse. Renatus igitur Vallinus scripsit *apri*: sed plurale singularibus additum displicet. scribendum potius est *ursus asper*, id est saevus. similiter lupus dicitur asper a Vergilio Aen. ix 61 et ab Ovidio Met. xi 402. Valerius Flaccus in 706 *aspera nunc pavidos contra ruit agna leones?* non opus est alia addere.

IX. Luxorius Epigr. 62 (Anth. Burm. t. II p. 613, Ries. p. 234)

*sic ibenū. prēciosas. uenatura creabit,
purpura sic magno depressa in murice fulget,
sic nigrae violae per mollia gramina vernant,
sic tetras quaedam commendat gratia ḡmmas,
sic placet obscuros elephans inmanis in artus,
sic turis piperisque Indi nigredo placescit.*

primum versiculum non potui ita emendare ut plane mihi satisfacere: proferam tamen quo litterae illae s. uena ducere mihi videntur. credo Luxorium scribere potuisse *sic ebenum pretiosa Syenae terra creavit.* scriptum invenitur non nusquam suene, reluti in exemplariis Vitruvii p. 191 6 R., Itinerarii Antonini p. 72 P., Martiani Capelae p. 194 Gr. ebenum Plinius XII § 19 Meroen usque a Syene inveniri dicit, potuit autem Luxorius minus adcurate Syenen commemorare cum deberet Aethiopiam. *pretiosa Syenae terra*, id est ebeno pretiosa, dictum est similiter atque Ovidii illud Ep. ex Ponto III 8 5 *nec tamen haec loca sunt ullo pretiosa metallo.* confitendum est multo rectius dici *ebenum Syene creat*, quod contra *natura creavit* rectissimum est: sed meminisse oportet qualis loquatur poeta. sed idem, quantumvis licet fuerit rudis et inficetus, mox non potuit scribere *magno depresso in murice*, nullum autem adiectivum aptius est quam

nigro. denique certa est quarti versus emendatio, ubi *tetas* in *atras* mutandum esse adparet.

X. Ignoti poetae Sodoma v. 14 ss. (in Tertulliano Oehler t. II p. 771)

effera luxuries illic, inimica pudoris,
instar legis erat, fugeret quam praescius hospes,
ante vel ad Scythicas vel apud Busiridis aras
exoptans per sacra necem caesusque cruorem
fundere Bebrycium et Libycas satiare palaestras
anteque vel Circaeae novas per pocula formas
sumere quam laesum Sodomis amittere sexum.

non potest dici Bebrycium cruorem fundere qui ab Amyco caeditur. scribendum est sine dubitatione *exoptans per sacra necem caestuque cruorem Fundere Bebrycio et Libycas satiare palaestras.* Statio Silv. IV 5 28 *Bebryciae crepitus habenae* Schraderus pulchre restituit. per *Libycas palaestras* Antaeus significatur.

In eodem carmine v. 81 patet scribendum esse *tempore mox quo lux tenebras* concindere *temptat.* legitur *conscendere.*

XI. Commodianus Instr. II 22 13

in suprema aedis iniusta lucra condendo,
suggerat cum dominus unicuique vitam diurnam,
congestet alius: tu bene vivere quaere,
et dei cor conscius ages super omnia victor.
nec enim dico ut te in trivio tinnites,
cum pro die tuo vigilas, sine fraude vivendo.

versu altero *suggerat* scripsi, cum *suggeret* sententiam turbare videtur. *cum* quod in principio ultimi quem adscripsi versus legitur efficit ut haec sit acrostichis, *de zelo concupisciae.* sed plane incredibile est ante medium saeculum a Christo tertium, quo tempore Commodianum versus suos fecisse constat, ita peccatum esse pronuntiatione et scriptura. tamen magna nuper securitate haec acrostichis prolata est ut doceremur vitium sermonis quo *ci* et *ti* ante eorundem verborum vocales litteras permutantur quattuor quam putabamus saeculis esse antiquius. atqui nullam sententiam praebent illa *cum pro die tuo vigilas, sine fraude vivendo,* neque cohaerent cum antecedentis versus pracepto, quod ex euangelio Matthei 6 2 sumptum est, sed per se constat versus atque ita scribendus est, *tu pro die tuo vigila sine fraude vivendo.* repetitur quod antea dictum est *tu bene vivere quaere* et definitur hoc modo, ‘*tu de victu tuo non aliter solli-*

citus sis quam ut sine fraude vivere studeas.' sic nascitur vitio carens acrostichis *de zelo concupiscentiae*, quemadmodum i 36 recte scriptum habemus *de crucistultitia*.

XII. Symmachus Ep. vii 20 de villa filii Tiburtina *quid hic in positu aedium venustatis est, quas situs ex aedito sit in plana iactus oculorum.* ita liber Parisinus. scribendum est — *venustatis est, quis situ ex edito fit in plana iactus oculorum.*

XIII. Iulianus Toletanus in Arte grammatica i 82 (in Keilii Grammaticis t. v p. 322) de pyrrhichio *unde habet etymologiam?* a Pyrrho, *filio Achillis, eo quod ad funus patris armatus eodem metro luserit, vel quia interempto Euripide eodem metro saltavit armatus, mentis gaudia corporis exultatione confirmans.* miror Keilio haec pertinere videri ad inventa Cinesiae quae conmemorarit Diomedes p. 475. eorum hic neque vola est neque vestigium. nempe scribendum est *interempto Eurypylo.* Hesychius *πνεριχίζειν· τὴν ἐνόπλιον ὁρχησιν καὶ σύντονον πνερίχην ἔλεγον· οἱ μὲν ἀπὸ Πνερίχον τοῦ Κρητός, οἱ δὲ ἀπὸ Πύρρον τοῦ Ἀχιλλέως· ἐφησθέντα γὰρ τῷ Εὐρυπύλον φόνῳ ὁρχήσασθαι φησιν Ἀρχίλοχος· ὅτεν καὶ ὁ πνερίχιος ποὺς ὠνομάσθη.* antiquissima occisi a Neoptolemo Eurypyli memoria est Od. xi 520.

XIV. Miserrime adfecta sunt quae in Quintiliani Institutione viii 6 32 ss. leguntur, *vix illa quae πεποιημένα vocant, quae ex vocibus in usum receptis quocumque modo declinantur, nobis permittimus, qualia sunt 'sullaturit' et 'proscripturit' atque 'laureati postes' pro 'lauru coronati'*: *ex eadem fictione sunt, sed hoc feliciter evaluit.* adoinoia et uio ferimus in Graecis ocoeludituinobono eo dure etiam iungere arqui tollentem et uidere septentriones videmur. horum pars mea quidem arte insanabilis est. *sed hoc feliciter evaluit* ad laureati postes rettuli, neque videtur hic quicquam esse corrupti. mox puto scribendum *adia-noeta vix ferimus in Graecis.* reprehenderat Quintilianus *ἀδιανόητα* cap. 2 § 20 ss., videtur autem eorum mentionem repetere potuisse quoniam fieri possunt vocibus in usum receptis aliquo modo declinatis, veluti cum Dionysius Siculus iaculum dixit *βαλλάντιον*, lanam *σκέπαρον* aliaque in quibus similiter ineptiit. portentosum illud ocoeludituinobono eo sanare non possum, sed paene persuasum mihi est latere nomen grammatici aliasve scriptoris, quem Quintilianus leniter inridens virum bonum videtur dixisse, quemadmodum locutus est Gellius in eis de quibus capite iii dixi: suspensi erant dativi ex verbo quod est *videmur.* postrema ita restituo emendatione indubi-

tabili, *dure etiam iungere arquitenentem et dividere septentriones vide-mur.* Vergilii est *arquitenens* Aen. III 75, *septem subiecta trioni* Georg. III 381. in *dividere* etiam Obrechtus incidit, in ceteris deliravit.

XV. Apuleius in *Apologia* cap. 13 *quid enim, si choragium thymelicum possiderem, num ex eo argumentarere etiam uti me consuesse tra-gredi syrmate, histrionis crocota, orgia mimi centunculo?* quod alienum esse adparet *orgia* et olim mirificis commentis corrigere temptarunt et nuper successu non meliore. nam deleri illud non potest antequam aliquo modo explicatur qui factum sit ut adscriberetur, quod autem in *Notitiis Gottingensibus anni MDCCCLXV scheda 39* proponitur *orgia* mutandum esse in *choragi amiculo*, non tantum omnem excedit concessam coniendi libertatem, sed inepte commemoratur choragus. scribendum est, ut opinor, *archimimi centunculo*. archimimi nomen ut proprie significaverit magistrum mimariorum (quae Grysarii est sententia), constat tamen ita dictos esse aut primarum in mimicis fabulis partium actores aut omnino mimos. cuius dilatatae significatio-nis, qua archimimus nihil distat a mimo, notabile exemplum praebet suppar Apuleii aetati Salvius Iulianus Dig. xxxviii 1 25 *nam si quis pantomimum vel archimimum habeat et eius mediocris patrimonii sit ut non aliter operis eius uti possit quam locaverit eas, exigere magis operas quam mercedem capere existimandus est*, ubi Basilica ὁρχηστὴς ἢ μῖ-mos habent, nullo quidem sententiae discrimine. vocabuli exemplis quae lexica praebent et ex inscriptionibus Mommsenus Hermae t. III p. 462 attulit, non oblitus ille Iuliani, addo quod legitur apud Victorem Vitensem de Vandalica persecutione libro I (p. 10 ed. Par. a. 1569), *sed nec quendam archimimum nomine Mascuan debeo praeterire.*

XVI. Aristides Or. 18 t. I p. 410 Dind. Ὁμηρος μὲν γὰρ ἔφη τὸν Τιταρήσιον ἐπιρρεῖν ἐπὶ τοῦ Πηνειοῦ ὕσπερ ἄνδρα ἐπι-νηχόμενον ὑπὸ κονφότητος τοῦ ὕδατος. ineptissimum ἄνδρα Meinekius in Callimacho p. 56 in ἀχνῷ mutandum censem. eius modi aliquid si admittendum esset, posses etiam scribere ἀνθέρινα, quod fuerunt qui eadem qua ἀνθέρικον significatione dicerent. nego vero paleas aut asphodeli caulem ab Aristide recte commemorari potuisse. Callimachus enim cum dicit in *Hymno in Delum* v. 191 ἔστι διειδο-μένη τις ἐν ὕδατι νῆσος ἀραιή, Πλαζομένη πελάγεσσι, πόδες δέ οἱ οὐκ ἐνὶ χώρᾳ, Άλλὰ παλιρροίῃ ἐπινήχεται ἀνθέρικος ὡς Ἔνθα νότος, ἐνθ' εἰρος, δπῃ φορέησι θάλασσα, instabilem et super mari natantem ventisque ac fluctibus huc illuc iactatam insulam cum fluitante in summa aqua asphodelo non male comparat

similiterque instabilem levitatem Hermes in Stobaei Eclogis physicis i 45 significat de anima ita loquens, ἐὸν μέντοι καὶ ταῦτα σάλον λάβῃ καὶ ταραχὴν ἥτοι ἀπὸ νόσου ἡ φόβον, τότε καὶ αὕτη ὠσπερεὶ βυθῷ ἀνθέρικος ἐπικυμαίνεται καὶ οὐδὲν ἔστάμενον φέρει (pulcherrime enim Meinekius haec emendavit): verum fluminis aquam quae cum aqua alius fluvii non miscetur, sed graviori levior superfunditur, cum fluitante asphodelo aut palea inepte comparari existimo. neque credibile est Aristidem non satis tenuisse quae in Iliade legerat, οὐδ' ὁ γε Πηγειῶ συμμίσγεται ἀργυροδίνη, Ἀλλά τέ μιν καθύπερθεν ἐπιρρέει ἡύτ' ἔλαιον. puto igitur eum non pervertisse Homericam imaginem, sed scripsisse ὠσπερ ἔλαιον. postquam ἔλαιον excidit oratio perperam completa est.

XVII. Photius in Lexico *Λίνον*. Ἡρακλείδης δὲ Ποντικὸς ἐπειδὴ οἱ παλαιοὶ λίνοις ἀντὶ χορδῶν ἔχοῶντο. ἀλλὰ καὶ Ὁμηρος ἥδη χορδὰς ἐπιστάμενος λίνον καλεῖ. ἐγένοντο δὲ τρεῖς ἥρωες *Λίνοι*, Καλλιόπης, ὁ δὲ Ἀλκιόπης καὶ Ἀπόλλωνος, τρίτος δὲ Φαμάθης τῆς Κροτίου καὶ Ἀπόλλωνος. adnotat Naberus p. 389 ‘in fine glossa mutila est et corrupta, sed non novi certam medicinam, quia haec alibi quantum novi non leguntur. pro Ἀλκιόπης fortasse Ἀλκίπης. sed quid latet sub Κροτίου?’ mutandum est Ἀλκιόπης in Χαλκιόπης, Κροτίου in Κροτώπου. illud docet Eustathius in Il. xviii p. 1164 (1223), hoc Pausanias i 43 7 et ii 19 8.

XVIII. Aristophanes in Acharnensibus v. 23

οὐδὲ οἱ πρυτάνεις ἥκουσιν· ἀλλ' ἀωρίαν
ἥκοντες, εἴτα δὲ ὠστιοῦνται πᾶς δοκεῖς
ἔλθοντες ἀλλήλοις περὶ τοῦ πρώτου ξύλου,
ἄθροι καταρρέοντες.

tertium versum Meinekius addito articulo recte correxisse videtur: in libris est ἔλθοντες ἀλλήλοισι περὶ πρώτου ξύλου. secundum versum puto nondum probabiliter esse emendatum. Meinekius Vind. Ar. p. 1 adsensus est Dobraeo Adv. t. II p. 186 εἴτα διωστιοῦνται scribendum esse conicienti. et offendit sane εἴτα δέ post participium possum: neque enim satis simile est quod κάτα ab Aristophane ita dictum est in Equitibus v. 391, ἀλλ' ὅμως οὗτος τοιοῦτος ὡν ἀπαντα τὸν βίον Κάτ' ἀνήρ ἔδοξεν εἶναι, τἀλλότριον ἀμῶν θέρος. sed διωστιοῦνται Dobraei non videtur verum esse. ac pri-
mum quidem versum minime elegantem efficit εἴτα διωστιοῦνται, finito in prima anapaesti syllaba vocabulo, praesertim cum eadem sit

in caesura. sensit id Dobraeus, qui adnotavit quaerendum esse de rhythmo. porro conpositum illud verbum nusquam legitur, simplici *ωστίζεσθαι* utitur Aristophanes Ach. 42. 844, Lys. 330, Pl. 330. deinde quod Hesychius habet *ωστιοῦνται*, *ωσθήσονται*, ad hunc ipsum Acharnensium versum pertinere et quod in libris est confirmare videtur. denique non tollitur Dobraei emendatione vitium orationis quod mihi quidem videtur esse apertum, quamquam nemo, quantum scio, animadvertis. nam post *ῆκοντες* inutiliter atque inepte additur *ἐλθόντες*. quod cum aliquando in schola demonstrassem professusque essem me veri similem correctionem nondum invenisse, extitit qui operaे pretium se facturum esse putaret si publice diceret *ἐλθόντες* mutandum esse in *ἐνοχλοῦντες*. multo praestabat tacere. proferam autem nunc quod repetita cogitatio mihi suppeditavit, non certum quidem illud, sed quod videatur tamen veri esse simile eoque commendari quod simul removet et ineptam participiorum coniunctionem et offensionem quam *εἰτα δέ* habet. puto *ῆκοντες* ex alia verbi forma factum esse a librario qui ad participium quod in eodem proximi versus loco est oculis aberraverat. nam Aristophanes scripsisse mihi videtur

*οὐδ' οἱ πρυτάνεις ἦκουσιν· ἀλλ' ἀωρίαν
ἥξουσιν, εἰτα δ' ωστιοῦνται πᾶς δοκεῖς
ἐλθόντες ἀλλήλοις περὶ τοῦ πρώτου ξύλου,
ἄθροι καταρρέοντες.*

coniunctum cum dativo *ωστίζεσθαι*, quod est trudere aliquem ab eoque trudi, habet Aristophanes Ach. 844 et Lys. 330. addo quod ex Sophronis aliquo mimo apud Eustathium in Od. I p. 1397 (28) servatum est, *δειπνήσας ωστίζεται τοῖς τρηματιζόντεσσιν*.

XIX. Gregorius Nazianzenus Or. 38 (*εἰς τὰ Θεοφάνια*) c. 10 t. I p. 669^b Ben. ἀλλὰ “τί τούτων (scr. τοῦτο) ἡμῖν;” τάχα ἀν εἴποι τις τῶν λίαν φιλεόρτων καὶ θερμοτέρων. “κέντει τὸν πῶλον περὶ τὴν νύσσαν, τὰ τῆς ἑορτῆς ἡμῖν φιλοσόφει καὶ οἵς προκαθεζόμεθα (scr. προσκαθεζόμεθα) σήμερον.” legit haec qui omnia legit Iosephus Scaliger composuitque in *Στρωματεῖ* hunc versum, *Κέντει τὸν πῶλον περὶ τὴν νύσσαν. Γόνυ κάμψαι.* videtur potius pristina adagii forma haec fuisse, *κέντει πῶλον περὶ νύσσαν.* possunt plura addi proverbii paroemiaco numero conclusis quae Meinekius in Theocrito suo congessit. ἀρχὴ δέ τοι ἡμισυ *παντός*, quam proverbii formam praebent Demetrius *περὶ ἔρμ.* c. 122 et Galenus Meth. med. vi 6 t. x p. 450 K., quamquam apud hunc δὲ

τὸ male scriptum est. κόκκν, ψωλοὶ πεδίονδε, Aristophanes Av. 507. μενετοὶ Θεοὶ, οὐκ ἀπατηλοί, scholion in Aristophanis Av. 1619. ὅνος εἰς ἀχνρῶνας ἀπέδρα, scholion Aristophanis Vesp. 1301. ἀχνρῶνας Aldus: liber Venetus ἀχνρῶνα.

XX. Aelianus de animalibus II 22 retia quibus apuae capiantur ita describit, ἄγρα δὲ αὐτῶν νήματα ἄγαν λεπτὰ καὶ ἐρραφέντα τούτοις ἀραιῶν στημονίων τὰ ἴμάτια. probabiliter Godofredus Bernhardius ἀραιῶν in ἔρεῶν mutandum esse censuit. τὰ ἴμάτια plane non possunt intellegi. Musurus, qui non nulla ex hoc Aeliani capite excerpta scholio in Aristophanis Eq. 642 addidit, tantummodo ἄγρα δὲ αὐτῶν εἴματα (sic) λεπτά adscripsit, reliqua autem omisit. emendationem Schneiderus frustra temptavit. mihi persuasum est in τὰ ἴμάτια nihil latere aliud quam τιλμάτια.

XXI. Longus III 30 εὐρῶν δὲ κάκείνοντος κριθία μετροῦντας οὐ πρὸ πολλοῦ λελικμημένα ἀθέματα τε ἔχοντας ὅτι μικροῦ δεῖν ὀλιγώτερα ἢν τῶν καταβληθέντων σπερμάτων, ἐπ' ἐκείνοις μὲν παρεμυθήσατο, κοινὴν δμολογήσας αἰτίαν πανταχοῦ γεγονέναι. non potest ferri αἰτίαν, in quo olim docti homines adquieverunt, quae autem nuper proposita sunt, σπάνιν ἀφορίαν δυσετηρίαν, a litteris nimis distant. mihi in αἰτίαν latere videtur ἀσιτίαν. cuius vocabuli ea quae hic requiritur significatione usurpati lexica quidem nulla praebent exempla, sed causam non video quin credam ἀσιτίαν non minus ita dictam esse quam σπανοσιτίαν et σιτοδείαν. opponuntur inter se πολυκαρπία et ἀκαρπία, πολυφορία et ἀφορία, potuerunt etiam opponi πολυσιτία, quod Xenophon habet, et ἀσιτία.

XXII. Chariton VI 1 10 πρῶτον οὖν ἀπόκριναι σεαντῷ. τίς εἰ; Καλλιρρόης ἐραστής ἢ δικαστής; μὴ ἐξαπάτα σεαντόν. ἀγνοεῖς μὲν, ἀλλὰ ἐρᾶς· ἐλεγχθήσῃ δὲ μᾶλλον ὅταν αἰτήν μὴ βλέπης. rectissime intellexit Hercherus ἀγνοεῖς alienum esse a sententia quadratque optime quod scripsit ἀριῆ. dubito tamen utrum hoc verum sit an ἀνανεύεις, quod minore effici videtur mutatione eandemque sententiam praebet.

Idem VIII 4 5 μὴ λάβῃ δὲ πεῖραν μητριᾶς· ἔχεις οὐ μόνον νιόν, ἀλλὰ καὶ θυγατέρα· ἀρκεῖ σοι δύο τέκνα. ὃν γάμῳ ζεῦξον, ὅταν ἀνήρ γένηται, καὶ πέμψον αὐτὸν εἰς Συρακούσας, ἵνα καὶ τὸν πάππον θεάσηται. in γάμῳ mutandum esse γάμον quod liber habet Reiskius vidit: ut consummetur emendatio scribendum est νιὸν γάμῳ ζεῦξον.

In fine libri alterius scribendum esse καὶ σύ, τέκνον, ὁμόσαντι πίστευσον verissime docetur Hermae t. I p. 262: sed dudum eam emendationem fecerat Cramerus Anecd. Par. t. III p. 451.

XXIII. Scholion libri Ambrosiani in Theocriti 6 3 πνρρός: ὁ ἀρτίχνονς, ὁ ἥδη πωγωνίτης. Εὐριπίδης “πνρσαῖς γενύεσσιν (γέννισιν Phoen. 32).” ὁ δ’ ἡμιγένειος: Παρμενίσκος “παῖδ’ οὐτε γένειον πνρρὸν οὐθ’ ὑπηνήτην.” Ahrenti apud Zieglerum p. 47 scaenici poetae postrema esse videntur studetque ut esse possint reficere. eius rei si quod esset paullo certius indicium, possis conicere non Parmenisci alicuius illa esse neque commemorata alicubi a Parmenisco grammatico, sed sumpta ex Parmenisco Eubuli. atqui scaenicos numeros nihil magnopere prodit, sed scazon se paene offert hice, παῖδ’ οὐ γένειον πνρρόν, οὐδ’ ὑπηνήτην.

poterit igitur certe quaeri num forte Παρμενίσκος mutandum sit in Παρμένων. quae ex Parmenontis Byzantii libris Iamborum Athenaeus Stephanus scholiastae Pindari et Nicandri adferunt congesta sunt a Meinekio in Choliambica poesi p. 145.

XXIV. Inter ea quae Iosephus Kleinius ex libro Cusano protulit sententiae non nullae sunt quae quibus rivulis illuc deductae sint non adparet, sed fontes Graeci monstrari possunt aut saltem comparari Graeca.

P. 104. *Vias pereneus. molestius est inter duos amicos quam inter duos inimicos iudicare.* de Biante Prieneo Diogenes Laertius I 5 87 ἥδιον ἔλεγε δικάζειν μεταξὺ ἐχθρῶν ἢ φίλων· τῶν μὲν γὰρ φίλων πάντως ἐχθρὸν ἔσεσθαι τὸν ἔτερον, τῶν δὲ ἐχθρῶν τὸν ἔτερον φίλον.

P. 106. *Simonides cum interrogaretur quid inter homines celerrime consenseret respondit ‘beneficium.’* Ioannes Damascenus in Meinekii Stobaeo t. IV p. 185 Διογένης ἐρωτηθεὶς τί τάχιστα γηράσκει παρ’ ἀνθρώποις εἶπε “χάρις.”

P. 108. *Cleovolus dixit cavere nos magis amicorum invidiam quam inimicorum insidias debere. illud enim apertum, hoc celatum est malum nocendique fraus quo non speratur potentia.* scribendum videtur potentior. de Cleobulo Diogenes I 6 91 ἔλεγέ τε τὸν φίλον δεῖν εὐεργετεῖν, ὅπως μᾶλλον ἢ φίλος, τὸν δὲ ἐχθρὸν φίλον ποιεῖν· φυλάσσεσθαι γὰρ τῶν μὲν φίλων τὸν ψόγον, τῶν δὲ ἐχθρῶν τὴν ἐπιβούλην.

Secuntur haec, *Theophrastus dixit expedire iam probatos amicos amare, non amatos probare.* Plutarchus de fraterno amore cap. 8

p. 482^b τοὺς μὲν γὰρ ἀλλοτρίους, ὡς ἔλεγε Θεόφραστος, οὐ φιλοῦντα δεῖ κρίνειν, ἀλλὰ κρίναντα φιλεῖν. dixit de hac sententia Ruhnkenius in Rutilium Lupum i 6, in Rutilii verbis mirifice lapsus.

Quod p. 32 legitur *et sicut agna* etc. neglegenter exscriptum est ex Ovidii Met. i 505. — p. 38 *ut locus in mari* etc. Cicero de inv. i § 47. — p. 48 *Ariopagitae* etc. hoc excerptum est ex Cassiodorii Rethorica p. 562 Gar. (532 Ven.), qui sumpsit a Quintiliano v 9 13. — p. 112 *Demosthenes dixit* etc. Porphyrio in Artem poet. v. 102.

XXV. Plutarchus in Amatorio cap. 15 p. 758^b οὐ μὴν οὐδὲ νοσοῦντος ἀνθρώπου θεὸς ἀποστατεῖ τὴν περὶ τοῦτο χρείαν καὶ δύναμιν εἰληχώς, ἀλλ’ οὐδ’ ἀποθανόντος· ἔστι δέ τις ἐκεῖ κομιστὴρ ἐνθένδε καὶ ἀρωγός ἐν τέλει γενομένων κατευναστῆς καὶ ψυχοπομπός, ὥσπερ οὗτος,

οὐ γάρ με Νῦξ ἔτικτε δεσπότην λίρας,
οὐ μάντιν, οὐδ’ ἱατρόν, ἀλλὰ θυητὸν ἄμα ψυχαῖς.

lusit in his Herwerdenus Exerc. crit. p. 87, neque operae pretium fecit Duebnerus, quem Nauckius sequitur Trag. Gr. fr. p. 702. longe melius Valckenarius in Phoen. p. 506 scribendum esse coniecit ἀλλ’ ἡγήτορα Ψυχαῖς. scitius etiam Iacobsius in Wolfii Analectis t. i p. 250 ἀλλ’ εὐνήτορα Ψυχαῖς, quo ducere putat quod Plutarchus habet κατευναστῆς. dictum esset εὐνήτωρ similiter atque apud Apollonium Rhodium iv 1058 εὐνήτειρα Νῦξ ἔργων ἀνδρεσσιν. neuter tamen verum mihi videtur adsecutus esse. nam ex litteris librorum facillime efficitur, quod etiam Bergkium vidiisse ex Winckelmanni adnotatione didici, ἀλλ’ ὀνήτορα Ψυχαῖς. sic apud Pindarum Ol. 10 (11) 11 Hermannus ex Θνατῶν pulcherrime fecit ὀνάτωρ. est autem ὀνήτωρ qui Plutarcho dicitur ἀρωγός. potest ex tragicī versu sumptum esse quod Hesychius et Photius habent ὀνήτωρ, ὄνησιν φέρων, Pindaricum autem fortasse est quod Photius addit καὶ ὀνάτωρ ὁμοίως. ceterum non adsentior hominibus doctis qui Mercurium illa loqui existimant. quomodo enim Mercurius dicere potest Noctem se peperisse? sed Noctis filius habebatur Somnus isque sane adiuvat animas. itaque puto Plutarchum quae ad Somnum pertinebant comparandi causa et propter illud ὀνήτορα ψυχαῖς conmemorasse atque ad κατευναστὴν illum et ψυχοπομπὸν adcommodasse, neque scripsisse ὥσπερ οὗτος, quod omnino permirum est, sed ὥσπερ ὁ Ὑπνος.

XXVI. Plutarchus an seni res p. ger. sit cap. 6 p. 786^c οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ χάρις εὔμενῆς ἡ συνομαρτοῦσα τοῖς ἔργοις καὶ συνα-

μιλλώμενος ἔπαινος εὐνοίας δικαίας ἡγεμῶν οἶόν τι φῶς καὶ γάνωμα τῷ χαίροντι τῆς ἀρετῆς προτίθησι. scribendum esse προστίθησι Wyttenbachius intellectus, sed idem falsus est cum ἡγεμῶν, quod sane ineptum est, putavit fortasse mutandum esse in γνώμων. scribendum est dempta una littera ἔπαινος εὐνοίας δικαίας γέμων.

XXVII. Plutarchus de Iside et Osiride cap. 41 p. 367^e οἱ δὲ τοῖσδε τοῖς φυσικοῖς καὶ τῶν ἀπ' ἀστρολογίας μαθηματικῶν ἔνια μιγνύντες Τυφῶνα μὲν οὖνται τὸν ἥλιακὸν κόσμον, Ὁσιριν δὲ τὸν σεληνιακὸν λέγεσθαι· τὴν μὲν γὰρ σελήνην γόνιμον τὸ φῶς καὶ ὑγροποιὸν ἔχουσαν εὔμενῆ καὶ γοναῖς ζῷων καὶ φυτῶν εἶναι βλαστήσει, τὸν δὲ ἥλιον ἀκράτῳ πυρὶ κεκληρωκότα θάλπειν τε καὶ καταναίνειν τὰ φυόμενα καὶ τεθλότα καὶ τὸ πολὺ μέρος τῆς γῆς παντάπασιν ὑπὸ φλογμοῦ πονεῖν ἀοίκητον καὶ κατακρατεῖν πολλαχοῦ καὶ τῆς σελήνης. Wyttenbachius t. II p. 505 ut κεκληρωκότα retineri possit καὶ quod ante τὸ πολύ legitur delendum esse putat. addit tamen fortasse aliud latere, aut scribendum esse καὶ σκληροτάτῳ. postea t. VII p. 227 conicit scriptum fuisse συγκεκληρωκότα, quod melius abieciisset. perse non abhorret a Graeco sermone quod in libris est: nam ad κεκληρωκότα cogitatione addi potest αὐτό, de quo participiorum usu Hermannus dixit in Sophoclis Electrae v. 47. veruntamen neque intelligitur cur Plutarchus minus simplici oratione sine ullo sententiae emolumento uti voluerit neque quod antea dixit γόνιμον τὸ φῶς καὶ ὑγροποιὸν ἔχουσαν dubitari sinit concinne eum scripsisse ἀκρατον πῦρ κεκληρωκότα.

Cap. 49 p. 371^e ἐν Ἐρμονπόλει δὲ Τυφῶνος ἄγαλμα δεικνύοντιν ὑππον ποτάμιον ἐφ' οὗ βέβηκεν ἱέραξ ὅφει μαχόμενος, τῷ μὲν ὑππῷ τὸν Τυφῶνα δεικνύντες, τῷ δὲ ἱέρακι δύναμιν καὶ ἀρχὴν ἦν βίᾳ κτώμενος ὁ Τυφῶν πολλάκις οὐκ ἀνιᾶται, ταραττόμενος ὑπὸ τῆς κακίας καὶ ταραττῶν. pravum est οὐκ ἀνιᾶται, nihil autem homines docti excogitarunt quod probabile esse videatur. atqui litterae illae οὐκ ἀνιᾶται paene monstrant verbum aptissimum neque a libri huius sermone alienum, κυκανᾶται.

XXVIII. Plutarchus de defectu oraculorum cap. 20 p. 420^e ἄλλως γὰρ ἴσχυρὸν ἀρετὴν καὶ κακίαν εἶναι ἀσθενοῦς λεγομένου πρὸς διαμοήν καὶ διάλυσιν σώματος, ἐπεὶ καὶ τῶν θείων πολλὰ δυσκίνητα καὶ νωθρὰ ταῖς ψυχαῖς ὅντα, πολλὰ δὲ ἀκόλαστα καὶ ἄτακτα τῶν συνετῶν καὶ πανούργων χρόνους ζῆ-

μακροτέρους. rectissime Turnebus et Meziriacus λεγομένου in λέγομεν οὐ diremerunt, minus autem probari potest quod ἀσθενὲς scripserunt, pro quo apud Wytenbachium operarum culpa ἀσθενεῖς legitur. nam ut taceam non satis intellegi cur Plutarchus ἴσχυρόν et ἀσθενές scribere maluerit quam ἴσχυράν et ἀσθενῆ, nemo dicere potuit κακίαν inbecillam esse quod attineat ad διάλυσιν σώματος. accedit quod εἶναι ἀσθενές vocalibus praeter Plutarchi consuetudinem hiat. scribendum est ἄλλως γὰρ ἴσχυρὸν ἀρετῆς καὶ κακίας εἶναι σθένος λέγομεν, οὐ πρὸς διαμονὴν καὶ διάλυσιν σώματος. mox ex θείων Turnebus et Meziriacus optime fecerunt ζώων neque debebat Wytenbachio magis placere θηρίων.

XXIX. Plutarchus de virtute morali cap. 8 p. 449^a ὅταν δὲ δακρύοις ἐλεγχόμενοι καὶ τρόμοις καὶ χρόας μεταβολαῖς ἀντὶ λύπης καὶ φόβου δηγμούς τινας καὶ συνεόρσεις λέγωσι καὶ προθυμίας τὰς ἐπιθυμίας ὑποκρίζωνται, σοφιστικὰς δοκοῦσιν οὐ φιλοσόφους δικαιώσεις καὶ ἀποδράσεις ἐκ τῶν πραγμάτων μηχανᾶσθαι διὰ τῶν ὀνομάτων. monstrum vocabuli est συνεόρσεις neque quicquam prolatum memini quod probari possit. mihi scribendum videtur συνθροήσεις. utitur ea voce Sextus adversus physicos i 169 p. 426 31 Bekk., ἀλλ' εἰ τοῦτο ἔστιν ἀδηλον αὐτῷ, πάντως κατὰ τὴν προσδοκίαν τῶν φιλαρτικῶν αὐτοῦ τούτων, ἐξ ᾧ ἐν συνθροήσει τινὶ καὶ κινήματι γενήσεται, καὶ φοβοῖτο. Gregorius Nyssenus t. i p. 639^c, commemoratus ab Hasio in Thesauro t. iv p. 425, ἔκπληξίν τινα καὶ ξενισμὸν σημαίνει ἐπὶ τῷ φανέντι θαύματι τὸ τῆς θροήσεως ὄνομα.

XXX. In epitome Comparationis Aristophanis et Menandri Plutarcheae cap. 4 p. 854^c haec leguntur, ὅτι κωμῳδίας ὑποκριτὰς τοῦ χρόνου τούτου πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς τῆς πόλεως ἐνεγκόνσης, αἱ Μενάνδρου κωμῳδίαι ἀφθόνων ἀλών καὶ ἰερῶν μετέχουσιν, ὥσπερ ἐξ ἐκείνης γεγονότων τῆς θαλάττης ἐξ ᾧ Ἀφροδίτη γέγονεν. ad ἐνεγκόνσης Wytenbachius haec adscripsit, ‘hoc loco epitomator nonnulla ad sententiam necessaria omisit.’ nihil omisit, sed ὑποκριτάς mutandum est in ποιητάς. deinde necessario scribendum est ἐξ ἣς Ἀφροδίτη γέγονεν.

IOHANNIS SCHRADERI EMENDATIONES CARMINUM CLAUDIANI.

I 102. <i>f.</i> rarescunt	106. <i>f.</i> contextis	225. vitreo
227. <i>f.</i> arces	231. <i>f.</i> cuncto	243. <i>f.</i> ignes
vaque	174. Incita	274. subieceris
357. fides	v 47. <i>f.</i> cunctusque	177. <i>f.</i> Fulgere
cohibete	322. <i>f.</i> iuxtaque	353. illinc
371. serunt	410. spectantia	447. Corda
63. quies	140. <i>f.</i> saevitque	vii 16. <i>f.</i> artus
tos	333. <i>f.</i> corda	517. <i>f.</i> vocibus
x 90. <i>f.</i> fulgent	138. tenenti	ix 2. caperent—tecta
facem	17. fidem	xv 252. <i>f.</i> Bellona simul cum mente
393. patruas	xvii 18. Carpsit	40. <i>f.</i> venae—sequacis
42. expertus	56. <i>f.</i> tepescit	67. <i>f.</i> retegis
(conf. 69)	117. vindice	87. <i>f.</i> agmine
326. <i>f.</i> croci	337. captis	221. corripis
192. <i>f.</i> furentem	xviii 121. <i>f.</i> Ludibrio fortuna suo	275. <i>f.</i> orbes
notatur	401. <i>f.</i> funesta	250. Asiae
referet	406. <i>f.</i> Lingonicus	277. <i>f.</i> adeas
509. pubes	xx 157. <i>f.</i> ministro	323. 438. <i>f.</i> re-
273. caedunt quod	332. <i>f.</i> stagna	172. <i>f.</i> unda
Pontus; it ad ipsam penetrans	393. turbo	451.
aristis	xxi 9. <i>f.</i> detersae fulgent	511. Latius
gui collis	xxii 127. deiectaque	566. evulsis—
370. speciosa	248. Vitro	Latinos
xxvi 40. <i>f.</i> offuderat	449. Extrema	467. <i>f.</i> radiantes
472. <i>f.</i> rursus	61. <i>f.</i> hucusque manus	465. <i>f.</i> rutris
xxviii 6. <i>f.</i> cultu	595. <i>f.</i> perculso	632. Infremuit
tore	24. <i>f.</i> certius	61. <i>f.</i> Seria
192. ac	199. Lycaeо	95. <i>f.</i> geni-
catum	610. pretio	343. fumante
xxxi 28. Utque fuit turbata comas, nudata papillis	xxix 124. Caerulei	446. cal-
65. <i>f.</i> amoena senectus	38. cantum	108. exi-
<i>f.</i> Illius Edoni	xxxiii 258. marmor	307. Latinos
15. <i>f.</i> moderatus	23. <i>f.</i> despexit amores	370.
xxxv 138. <i>f.</i> textos Ridenti	203. <i>f.</i> aristae	467. <i>f.</i> radiantes
movimus	263. ceu matre	xxxvi 21. <i>f.</i> com-
120. pavidae	xxxix 55. Si ruat	109. diversa <i>vel</i> aversa
21. <i>f.</i> iucundo—cursu	xlii 2. gratas—cara	12. Fervidus
xlv 13. Alba subit	14. <i>f.</i> spinis	5. <i>f.</i> Tres flu-
relinqui	62. <i>f.</i> verberat	xlix 9. a vate

Descripti e libro Santeniano bibliothecae regiae Berolinensis.

M. H.

IOHANNIS SCHRADERI EMENDATIONES LIBRI X COLUMELLAE.

V. 19. germine 22. *f.* Texta 45. *f.* Putris — perfusa
madescet 62. umbras 80. mitis 131. *f.* supino
137. *f.* dumosa 193. iterum iam] Cythereia (*Ov. Met.* iv 190)
204. pellax 205. iterum meditatur 209. *f.* fontes
215. *f.* curru 287. nitescit 327. Messibus 347. Ipse

Descripti e libro Santeniano bibliothecae regiae Berolinensis.

M. H.